

exposcent, donec omnes impios, qui Dioecesim Parisiensem inficiunt, fortiter expugnaueris, vt deinceps Lutetia luce fidei plenissima possit vno consensu numen æternum ex animo venerari. Impios verò quid tandiu moror? quos neq; terra nisi velut ingemiscens, & tremebunda sustinere potest, vt ostendit illa nobilis, & aurea Curia Parlamenti aula, quæ ad verba ciuis Andegauensis (quem illius Dioecesis Episcopus ob Diuinum numen pernegatum vrgebat) à Caufidico Episcopi partes agente relata non sine ingenti miraculo concussa bis contremuit: Tanto stupore attoniti omnes xvii Calend. Iunij, anno Christi Domini 1464 lapidem ex alto cadentem, postridie verò, dum eadem causa reuocaretur, trabem è propria sedelongè dimotam vix aspicere potuère. Tantus enim horror, tantus tremor, vt parum abfuerit, quin singuli insolito timore perterriti mortem cum vita commutarint; vt ipsæ creaturæ sensus expertes, quæ contra impios in die Iudicij armabuntur, sui Creatoris prouidentia, atque præsentia firmissimum darent testimonium, ac ciuem illum diuinæ maiestatis perduellem instar Core, & Dathan absorbendum esse significarent; & ipsa aula, quæ nullam causam habuit, antequam eâ, quæ nunc spectatur, formâ reficeretur, palam in Præsidum, & aliorum corona testaretur se malle corrui, & in nihilum redigi, quàm impios Atheorum, atque Deistarum sermones continere.

Monstre-
letus 3.
volum. &
post eum
Ludoui-
cus d'Or-
leans c. 26.
de fede
Præsidû.

Pêrditis igitur hominibus longè sepositis, quorum ἀμεσοπρία inter Christianos nequidem audiri debet, placet aliò diuertere, & latè per illas quæstiones exspatiari, quas in hoc toto volumine non sine voluptate perleges; etenim siue terram, & elementa, siue cœlum, atque sidera, siue Dei imaginem spectaueris, habes quod te post Atheomachiam reficiat, atque recreet. Si difficilius prælium in plurimam notem productum fuerit, affero lucem quæ quinquaginta suis attributis, vt totidem radijs defatigatos oculos exhilaret, & animum singulari voluptate perfundat. An à me quidquam aliud expectes? Antiquæ tamen Musicæ nouam instaurationem nolui sub alienis auspicijs lucem aspicere, & extollere caput, vt non alio duce quàm Prælato concentus amantissimo, & Regiæ Musicæ præfecto species illa Matheseos hæcenus inculta summum perfectionis fastigium attingere valeat, & te Chorago singuli fideles celebrent stupenda numinis diuini miracula, trêsq; choros instituant, in quorum primo deprecentur veniam peccatorum vocibus Diatonicis: in secundo Chromaticis sonis ad virtutum amorem prouocent; in tertio denique singulorum animos phton-gis rapiant enharmonicis ad cœlestem patriam, & ipsis choris Angelicis humanam symphoniam perfectissimè coniungant.

O foelicem Archiepiscopatum, si mirabili tanti Antistitis prouidentia tubæ, tibiæ, organa, clauicithera, lyræ, citharæ, testudines, & quidquid pulsû, vel flatu resonat, dolorem de præteritis peccatis